



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 96. Guisius Dux in Franciam reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcgl. XVI.  
A.C. 1557.

§. XCVI.

*Guifius Dux in Franciam reversus.*

*Thuan. l. 18.*  
*Pallav. l. c.*  
*Belc. comm.*  
*l. 27. n. 62.*

Eodem die, quo Albæ Dux Romam venerat, Guifius summo mane verdariis equis inde discessit, postquam equitatum suum in Civitatis veteris portu Gallicas naves conscendere jusserat, eumque in Franciam præmiserat: cum autem Guifius a Paulo IV. Papa abeundi copiam peteret, eidem Pontificem respondisse ferunt, quod sui Regis quidem rebus parum, minus quoque utilitati Ecclesiæ, minimum vero existimationi suæ, atque honori ea expeditione consulisset.

De cetero cum Ferrariensis Dux in pacis fœdere Papam inter, & Philippum inito non comprehenderetur, hinc a Parmensi Duce bello invasus est, cui quidem Guifius ex Italia discedens quasdam peditum legiones reliquerat, his tamen tam exiguis suppetiis tempestatem sibi imminentem declinando, seque tuendo impar erat, hinc ab eo temporis articulo cum Hispanis pacem inire studebat, hancque in rem Cosmæ Mædicæi, qui eidem clam favebat, opera utebatur. Interea Octavius Farnesius Parmæ Dux continuis victoriis Ferrariensem ditionem emetiebat, ac Mense Octobri Montecium Regiensis agri castel-

castellum, moxque Sancti Pauli oppidum deditione accepit: Paulus vero Vitellius Canossam, ac demum in Lunigiana valle Veronam arcem, necnon Scandianum suis armis subegit. Altera ex parte Alphonsus Estensis, Ferrariæ Ducis Filius unacum Cornelio Bentivolio e Regiensi urbe erumpens hostem inopina vi obruere tentabat: verum non sine clade repulsus ad Ripam-altam secedere cogebatur, inde vero rursus excedens Regium reversus est, ubi mox hostes Ripam-altam occuparunt, & Octavius appropinquante hyemis rigore militem suum per vicina præsidia distribuit.

Postea Guisus in Gallias rediit Regem summo dolore affectum repererat, eoquod Galli per Hispanos ingenti clade die vigesima septima Augusti fuissent profligati, atque oppidum Sancti Quintini in Veromanduensi agro amissum: quapropter post deperditam hanc urbem Guisii Ducis opera Galliarum Regi oppido erat necessaria, quam ob rem præcipue in Franciam redire jubebatur, cum ejusdem prudentia, ac fortitudo inclinatis Gallorum rebus utilis crederetur.